

No. 210. 1270. 20. Mai.

B. Dietrich zu Naumburg verkauft das Dorf Hildebrandesdorf an den Meissner Domherrn Sifrid gen. von Pegau.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Theodericus dei gratia Nuemburgensis episcopus — — volumus tam praesentis — nostrae ecclesiae — — constitutis, villam Hildebrandesdorf cum omnibus suis pertinentiis, exceptis decem maldratis avenae, quae a tota villa sive decem mansis villae in pensione census annui debentur capitulo Misnensi et quatuor mansis duas marcas solventibus annui census, quos praepositus et canonici Schylowenses pro triginta marcis argenti a nobis compararunt, in eadem villa domino Sifrido canonico Misnensi dicto de Pigauia vendidimus iusto emptionis et venditionis titulo interveniente, de totius nostri capituli consilio et consensu tali moderamine adhibito, quod pro qualibet marca annui census eiusdem villae, quindecim marcas usualis argenti nobis persolvit integre et perfecte, quam totalem pecuniam recognoscimus nos convertisse in solutionem praedictorum debitorum, pro quibus idem castrum fuerat obligatum, reservata nobis libera optione reemendi praedicta bona infra spatium quatuor annorum a die penthecostes nunc instante in antea computandum pro pecunia nunc memorata; dantes exnunc, tradentes et assignantes dicto domino Sifrido proprietatem dictorum bonorum cum omnibus iuribus suis, videlicet iudicio, terris cultis et incultis, viis et inviis, exitibus et redditibus, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, stagnis, piscationibus, molendinis iam constructis ibidem vel in posterum construendis, nec non cum omni iure et utilitate, quae scribi vel nominari possunt et quae in praesenti de praedictis bonis proveniunt vel provenire poterunt in futuro, ita quod praefatus dominus Sifridus de praedictis bonis, quorum proprietatem ut praemisimus, in ipsum transtulimus, plenam potestatem habeat ordinandi, disponendi et faciendi in ecclesia Misnensi vel alibi prout sibi visum fuerit expedire, quicquid suae placuerit voluntati, renunciantes — reemere infra quatuor annos, prout —. Nos quoque Meinherus — insigniri. Datum Cycae anno domini M^o. CC^o. septuagesimo XIII. Kal. Junii praesentibus testibus infra scriptis Bernhardo custode, magistro Gebehardo scolastico, Nuemburgensibus canonicis, domino Sifrido dicto de Pigauia et Conrado de Boruz Misnensibus canonicis, Sifrido de Strele et Petro scriptore Cycensibus canonicis, Theoderico de Libenhan, Heinrico de Zelawitz, Heidenrico de Berke, Ludewico advocato de Schonenbere dicto de Granowe et aliis clericis et laicis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an braun- und gelbseidenen, dem des Capitels an grün- und gelbseidenen Fäden.

In den ausgelassenen Stellen stimmt der Text buchstäblich mit der vorhergehenden Urkunde desselben Tages (No. 209) überein.